DE RE NUMARIA, MENSURIS ET PONDERIBUS EPITOME EX BUDAEO, ...

Henricus Uranius

737.4

DE RE NUMARIA, MENSURIS, ET PONDERIBUS EPITOME, EX BUDAEO, PORTIO, *Alciato, & Georgio Agricola concinnata & aucta, diligenterq; recognita, per Henricum Uranium Reſſenſem.*

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

IN ZOILUM.

Zoile quid properas? nihil hic quod rodere poſsis,
Omnia ſunt doctis antè probata viris.
Ocyus hinc fugito, ſi neſcis quô ſit eundum,
En monſtrabo, malam Zoile adito crucem.

Φιλήμονος

πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον
φεύγῃ τὶς, ὃς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Ad interſignum Monocerotis.
Anno M. D. LXIX.

PRAESTANTISS.

VIRO DOMINO GVALTHERO FABRICIO, I. V. LICENTIATO, HENRICVS Vranius S. D.

ANTE annos fermè triginta, vir ornatiſſime, de re numaria, menſuris & ponderibus epitomen ex Gulhelmo Budæo, Leonardo Portio, Andrea Alciato, & Georgio Agricola à nobis concinnatam, Salingiaci à Ioanne Sotere primum excuſam, in lucem dedimus, ut ſtudioſæ iuventuti eo libello aliqua ex parte prodeſſe poſſemus. Eſt enim omninò harum rerum cognitio cuiuis ſtudioſo non tantùm utilis, ſed etiam neceſſaria ad rectè intelligenda veterum autorum ſcripta, in quibus huiuſmodi res ſæpenumero occurrentes, nõ parvam, moleſtiamq́; in animis legentium audientiumq́; relinquunt hæſitationem, niſi certo aliquo explicentur commentariolo. Quoniam au-

A 2 tem

tem iam nulla amplius uſpiam nec apud Typographos, nec Bibliopolas venalia extarent exemplaria, ſed omnia iampridem diſtracta eſſent, multiq́; propter utilitatem habere ac legere cuperent, rogati à bonis viris, compendium iſtud diligenter recognitum, et nonnullis in locis auctum, typis denuò curauimus excudi, vt quicunque velint, ea, quæ ſtudia ipſorum iuuare poſſe putabunt, breuiter inde ac commodè haurire queant. Prolixa ſiquidem eorum volumina, unde hæc excerpta ſunt, ſtudioſis omnibus euoluere non vacat. multiq́; etiam propter fortunæ tenuitatem, ſibi comparare non poſſunt. Exiguo igitur hocce libello, quantum ad has res attinet, iuuentuti bonarum literarum ſtudioſæ commodare libenter volumus. Euiuſmodi autem perſpicuitate ac luce omnia nos explicaſſe putamus, vt ſperemus neminem fore, qui nō facile ſit ſtatim cuncta intellecturus. Non parum certè difficultatis habet, ea, quæ ab alijs latè ac diffuſe ſunt tradita, ita in arctum contrahere, vt tamen grata ſint, & plurimum prodeſſe queant, ne, dum breuis eſſe laboras, obſcurus fias, vt Flaccus ait. Libellum autem hunc ita recognitum, vir integerrime, tibi potiſſimùm multis de cauſis nuncupare volumus. Ad ſummam enim inter

nos

nos amicitiam ac familiaritatem, atq; etiam tuam in me beneficentiam, ſingularis quoque accedit, eorũ quæ hîc traduntur, cognoſcendi abs te amor & cupiditas. Quicquid enim his de rebus editur, at in lucem venit, amdè admodum legis, excutisq;. Facile itaque tibi erit, quid præſtiterimus, indicare. Valde praterea ingratus eſſem, ſi, toties munificam liberalitatem tuam expertus, ne ſemel quidem grati viciſſim animi ſignificationem re aliqua declararem, tametſi ſanè perexiguum eſt, quo illud nunc facio. Quod ne cõtemnas, ſed læto hilariq; accipias animo, precor. Benè vale. Embricæ tertio Nonas Iulij.

Anno à CHRISTO nato M.D.LXIX.

EPITOME DE ASSE ET PARTIBVS EIVS.

AS res quæuis dicitur, quæ in duodecim partes diuidi poteſt. Veteres totũ aliquod in partes æquales diuiſuri, totum quidem Aſſem, partes verò Vncias, hoc eſt, vnitates, dicebant.

Vncia vnde dicta. Nam vnciam ab vnitate deriuari, M. Varro autor eſt. Hinc & tota hæreditas apud Hiſtoricos & Iureconſultos plærunque Aſsis appellatione continetur, & in duodecim vncias ſeu partes diſtribuitur.

Aßis partes his nominibus appellantur.

Vncia	Duodecima pars Aßis.	
Sextans	Sexta pars Aßis.	ij. unciæ.
Quadrans	Quarta pars Aßis.	iij. unciæ.
Triens	Tertia pars Aßis.	iiij. unciæ.
Quincunx		V. unciæ.
Semis uel Semißis	Dimidium Aßis.	Vi. unciæ.
Septunx		Vij. unciæ.

Bes

Bes	*viij. unciæ, forte ex eo quod bis trientem facit.*
Dodrans	*ix. unciæ, quaſi dempto ex Aſſe quadrante.*
Dextans	*x. unciæ, quaſi ſextans ipſi deſit, id eſt, duæ unciæ, ut nõ ſit As totus.*
Deunx	*xi. unciæ, ceu dẽpta ex Aſſe uncia.*
As	*xij. unciæ.*

Seſcunx vel ſeſeuncia, ſeu ſeſquunx, aut ſeſquuncia, vncia eſt, & vnciæ dimidium. Seſqui enim vocabulum in appoſitione inuentum pro hemiolo accipiendum eſt, quod perinde eſt ac ſi dicas, tantundem & ſemis, vt ſeſqui pes, pes vnus & ſemis, ſeſqui menſis, menſis vnus & ſemis.

Semuncia, dimidium eſt vnciæ. Sunt autẽ in Aſſe ſemunciæ xxiiij.

Ordo numariæ rei apud Romãnos.

Fuit apud Romanos hic ordo rei numariæ, vt primùm Romani ære graui, id eſt, numo rudi & informi vſi ſint, poſtea ære ſignato, quod fa-

ctum eſt ſub Seruio Tullio, ſexto rege, qui regnare Romæ cœpit anno vrbis clxxvi. Nota autem æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis. Deinde argento ſignato, anno vrbis D. lxxxv. teſtis eſt Plinius, cuius lib. xxxiij. cap. iij. verba hęc ſunt: Seruius rex primus ſignauit æs, antea rudi vſos Romæ Remæus tradit. Signatum eſt nota pecudum, vnde & pecunia appellata. Argentum ſignatum eſt anno vrbis D. lxxxv. Q. Fabio Coſ. quinque annis ante primum bellum Punicum. Nota argenti fuere bigę atque quadrigæ, inde bigati, quadrigati dicti. Aureus numus poſt annum lxij. percuſſus eſt, quàm argenteus. Sic Plinij habent exemplaria. Budæus tamen lib. v. de Aſſe, legendū cenſet, anno vrbis cccc lxxiij. idq́ ex Liuio, quem Plinius ſequi ſolitus eſt, probat & colligit.

Pecunia vnde dicta.

De ære.

AS apud Romanos nummus quondam fuit æreus libralis; Libræ autem

autem ponduſeris imminutũ bello
Punico primo, cum impenſis Reſp.
non ſufficeret, cõſtitutũmq́; vt Aſ-
ſes ſextantario pondere ferirentur,
ita quinq; partes factæ lucri, diſſo-
lutumq; æs alienum. Poſtea Anni-
bale vrgente, Q. Fabio maximo di-
ctatore, Aſſes vnciales facti, ita reſ-
pub. dimidium lucrata eſt. Mox le-
ge Papyriana ſemunciales Aſſes
facti.

Aſſes { Librales. Sextantarij. Vnciales. Semunciales.

Quantum As valeat, ex eo facile
æſtimari poteſt, quod Denarius, de
quo paulòpòſt dicemus, octaua pars
aurei Rheneñſis, ſeu daleri, quod
ferè idem eſt, pro decem Aſsibus
datus ſit. Valebit ergo As triente,
id eſt, tertia parte albi rotigeri. Tres
enim Aſſes album rotigerum con-
ſtituunt.

Aſsis partes, æreos itidem num-
mulos viliores ſignificabant.

Sextans numulus ęreus, ſexta pars aſsis, Populus Roma. in funere Meneuij Agrippæ, ne ſepulturæ honore careret, propter paupertatem, ſextantes contuliſſe dicitur à Valerio lib. iiij. ca. iiij. & Plinio li. xxxiij. cap. x.

Quadrans. Quadrans, numulus æreus, quarta pars aſsis, numulus fuit vſitatiſſimus Romæ, qui à tribus vncijs, etiam teruncius dicebatur. Ne teruncium quidem inſumpſit, prouerbio dicimus.

(marginal note: …ncius.)

Sportula centū quadrantes. Centum quadrantes, id eſt, viginti quinque aſſes, octo albi rotigeri, atque albi rotigeri triens: Sportula à Iuuenale, Martialeque decantata, quę merces ſalutationum erat, & quam diuites, qui ipſos ſectabantur, quotidie dabant.

Duo minuta. Vidua pauper in gazophylacium miſit duo minuta, quod eſt, quadrás, Marci xij. Lucæ xxi.

As		
Pondo æris	}	idem.
Libra æris		

Dipon-

Dipondius ſeu dupondius, numus bilibris, id eſt, duo aſſes, Lucæ xij. Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio? id eſt, duobus aſsibus:

Vbi apud antiquos millia æris grauis legimus, ibi millia aſsiũ intelligere debemus. Millia æris

De *argento*.

Seſtertius genere maſculino, quarta pars denarij, numus argenteus, dictus quaſi ſemis tertius. Valebat enim duobus aſsibus & ſemiſſe, ære noſtro, dextante albi rotigeri. His notis pingitur IIS. duæ lineę priores ſignificant duos aſſes, & S ſignificat ſemiſſem. Romanis idẽ, Seſtertius, Numus, & copulate Seſtertius numus. Seſtertius

Denarius item argenteus, quaternis ſeſtertijs numis valebat, hoc eſt, decem aſsibus, ſeu libris æris, ære noſtro tribus albis rotigeris, & triente, id eſt, tertia parte albi rotigeri. Dictus denarius ex Denarius

eo quod pro decem aſsibus locaretur æreis. Eiuſdē ferè valoris apud Græcos fuit drachma Attica, nummus etiam argenteus. Budæus, & multi eum ſecuti, drachmam eiuſdem planè pretij ac ponderis cū denario faciunt. Verùm qui rem exactius cōſiderant, nō futili ſanè probatione drachmam denario minorem aliquanto eſſe demonſtrant. In vncia enim octo ſunt drachmæ, ſeptem tantùm denarij. Vide Georgium Agricolam libro iiij.

ꝟoriat⁹. Victoriatus dimidium denarij, duo ſeſtertij nummi, argenteus erat nummus victoriæ nota ſignatus, & inde nomen.

Aureus coronatus. Aureus coronatus decem æſtimatur denarijs vel drachmis.

Aureus rhenanus. Aureus Rhenanus, ſeu dalerus, quod ferè idem eſt, octo æſtimatur denarijs, vel drachmis.

Facile eſt aureos coronatos redigere ad Rhenēſes, ſeu daleros. Singuli enim coronati valent aureum Rhe-

Rhenenſem ſiue dalerum vnum, & quadrantem. Faciunt igitur quatuor coronati quinque aureos Rhenenſes, ſeu daleros.

Stipend. militare.

Pediti Romano decem aſſes quotidie pro ſtipendio dabantur, hoc eſt, denarius vnus, autor Cornelius Tacitus libro primo Annalium ab exceſſu Auguſti, vbi de Pannonicarum legionum ſeditione loquitur. Centuriones autem duplex ſtipendium, & equites triplex merebant. Stipendiū ergo peditis menſtruū tres aurei coronati, xxx. diebus pro menſe numeratis. Centurionis, ſex. Equitis, nouem. Hinc apparet ſtipendium militare noſtri temporis, non multum differre à ſtipendio, quod olim Romani militibus dedere. Quo tempore autem ſtipendium militare inſtitutū Romæ fuerit, docet Liuius libro iiij. ab vrbe condita, non procul à fine, vbi Anxuris Volſcorum oppidi expugnationem deſcribit. Id autem factum eſt anno Vrbis ccc alix, ante id tempus, vt Liuius

uiusait, de ſuo quiſque functus eo munere fuerat.

Milites ære merere dicuntur, vt apud Lucanum libro x. Aere merent paruo, ab ære graui, nondum argenteo numo percuſſo. Vnde & ærarium dictum, quod in eo æs reponebatur.

[Ær]arium.

Drachma in ſex diuiditur obolos.

Sequiobolus erat Romæ Seſtertius.

[D]idrachmum.

Didrachmum, duæ drachmæ, bos, numiſma Atticum, bouis nota percuſſum, quarta pars aurei Rhenani, ſiue daleri. Pendebant ſinguli Iudæi quotannis, tributi nomine, didrachmum, autore Ioſepho libro vij. belli Iudaici, ca. xxvi. Cæſar, inquit, ſtipendium, vbicunque degerent, Iudæis indixit, binasq; drachmas ſingulis annis deferre in capitolium iuſsit, ita, vt antehac Hieroſolymorum templo pendebant,

Tributum Iudaicum.

Tetradrachmum.

Tetradrachmum, quatuor drachmæ, dimidium aurei Rhenani, ſiue da-

daleri. Qui numus etiam Stater dicebatur, Matthæi xvij. à Chriſto poſtulatur didrachmum. Et Chriſtus pro ſe & Petro reddi iubet Staterem in ore piſcis capti à Petro inuentum. Is enim continebat duo didrachma. Hebræis Siclus Ioſepho teſte lib. iij. antiq. ca. xv. Siclus, inquit, numi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradrachmi Attici. St. Siclus.

Denarius Romanus, quaternis ſeſtertijs valẽs, id eſt tribus albis rotigeris, & triente, hoc eſt, tertia albi rotigeri parte, denarius eſt ille diurnus, de quo apud Matt. cap. xx. Tanti enim etiã nunc operarij & vinitores conduci ſolent in diem. Huiuſmodi quoque denarius cum Cæſaris imagine & inſcriptione oblatus eſt Chriſto, Matthæi xxij. Tales quoque denarij argentei drachmam pendentes & hodie circumferuntur. Denarius diurnus.

Centuſsis quaſi centum aſſes, valet quadraginta ſeſtertijs numamis, Centuſsis.

mis,hoceſt,denarijs decem, quanti aureus coronatus ęſtimatus eſt. Perſius ſatyra v. Et centû Græcos curto centuſſe licetur. Sic treſsis, tres aſſes, id eſt, albus rotiger. Perſius eadem ſatyra: Hic Dama eſt, non treſsis agaſo. Decuſsis, decem aſſes, id eſt, denarius.

...ſis. ...uſsis.

Libra Romana, Mina Attica, Pondo argēti, Millia æris, Millia aſsiū, Centum denarij, Centû drachmæ. Quadringenti ſeſtertij, Quadringenti nummi, ferè idem, decem aurei coronati, qui faciunt duodecim daleros cum ſemiſſe. Quomodo coronati in daleros redigendi ſunt, paulò antè dictum eſt. Mina tamen Attica quatuor drachmis ſuperat libram Romanam. Hæc enim nonaginta ſex, illa centum drachmas continet. Nam mina Attica centenaria eſt, id eſt, centenas drachmas continet. Libra Romana duodecim eſt vnciarum. In vncia octo ſunt drachmæ, octies autem duodecim ſunt nonaginta ſex.

...Ro- ...Atti- ...cem co- ...tu.

Mina librā ſuperat.

Seſter-

Seſtertia ſingula neutri generis in plurali numero, valent vigintiquinque aureis coronatis, hoc eſt, daleris, ſeu aureis Rhenenſibus, triginta vno & quadrante. Dicuntur ſeſtertia, quaſi ſemis tertia: valent enim duabus libris argenti & ſelibra, hoc eſt, ducentis & quinquaginta denarijs, ſeu mille numis ſeſtertijs, quod idem eſt; vnde duo millia numûm, ſiue ſeſtertium, & duo ſeſtertia, idem ſunt. Item quatuor millia numûm, ſiue ſeſtertiũ, & quatuor ſeſtertia, atq; ſic deinceps.

Vt autem facilis & obuia ſit vnicuique earum ſummarum intelligentia, quæ apud autores identidem leguntur, hoc meminiſſe oportet, quod ſequitur, vt quæuis ſumma etiam in digitos deduci poſsit ſine calculis, aut abaco.

Centum ſeſtertij, centum numi, centum ſeſtertium, centũ numûm, xxv. denarij, duo aurei coronati, & ſemis, hoc eſt, tres daleri, & vnus denarius,

B Du-

Ducenti ſeſtertij, quinquaginta denarij, quinque aurei coronati, id eſt, ſex daleri & quadrans. Tanti Romæ vendebatur par columbarum, atque ſinguli pauones. Varro libro tertio de re Ruſtica, cap. vij.

Columba- & pauonum pretia.

Mille ſeſtertij, mille numi, mille ſeſtertiûm, mille numûm, mille ſeſtertiûm numûm, ducenti & quinquaginta denarij, viginti quinque aurei coronati, id eſt, daleri xxxi. & daleri quadrans, hoc eſt, duo denarij. Porrò idē ſunt, millē ſeſtertiûm ſeu numûm, & ſeſtertium vnū neutro genere. Itē decē millia ſeſtertiū, & decem ſeſtertia, & ſic deinceps.

Singula ſeſtertia ſingula millia numum ſignificant.

Quatuor millia ſeſtertiûm, numûm, mille denarij, ſiue quatuor ſeſtertia. Centum aurei coronati, daleri cxxv. Tantum accepit Roſcius Hiſtrio ſingulis ludorum diebus de publico. Macrob. lib. iij. Saturn. cap. xiiij.

Roſcij Hiſtrionis ſalarium.

Decem millia ſeſtertiûm, ſeu decem ſeſtertia, ducenti, quinquaginta aurei coronati. Daleri trecenti,

duo-

duodecim & ſemis. Tantum Vergilius pro ſingulis verſibus, quibus circa finem ſexti Aeneidos Marcelli iuuenis obitum deſcribit, qui perijt anno decimo octauo valetudine correptus, ab Octauia Marcelli matre & Auguſti ſorore accepit. Seruius in 6. Aen. Sunt autem verſus illi numero, vnus et viginti, pro quibus Vergilius accepit quinque millia, ducentos & quinquaginta aureos coronatos.

Vergilij verſus aurei.

Viginti millia ſeſtertiûm, ſiue viginti ſeſtertia, quingenti aurei coronati. Daleri dcxxv. Tanti coruus emptus eſt ab Auguſto, qui Auguſtũ ſublimem Actiaca victoria redeuntem, vt inſtitutus erat, ſalutarat, dicens: Aue Cæſar, victor, imperator. Macrob. li. 1. Satur. cap. iiij.

Coruus ab Auguſto emptus.

Triginta millia ſeſtertiûm, numûm, ſiue triginta ſeſtertia. Septingenti, quinquaginta aurei coronati. Daleri nongenti, triginta ſeptem, & ſemis.

Quadraginta millia ſeſtertiûm,

ſiue quadraginta ſeſtertia, mille aurei coronati. Daleri mille, ducenti quinquaginta. Tanti emit Plato tres Phylolai Pythagoriei libros, hoc eſt, decem millibus denariûm. Gellius libro tertio, capite decimoſeptimo: Tantum quoque Lais Corinthia à Demoſthene pro concubitu popoſcit. Demoſthenes autem tali petulantia mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus, expauiduſq;, auertit iter, & diſcedens, ego, inquit, pœnitere tanti nō emo, Gellius libro primo, cap. viij.

...to tres Philolai Pythagorici libros emit.

Lais Corinthia.

Quinquaginta millia numûm, ſiue quinquaginta ſeſtertia, mille, ducenti, quinquaginta aurei coronati. Daleri mille, quingenti, ſexaginta duo, & ſemis. Tanti fuit æſtimata cœna Luculli in Apolline, apud Plutarchum, in vita Luculli, data Pompeio & Ciceroni.

Luculli luxus. Apollo triclinij nomen.

Sexaginta millia ſeſtertiûm, ſiue ſexaginta ſeſtertia, mille, quingenti aurei coronati. Daleri mille, octingenti ſeptuaginta quinque.

Se-

Septuaginta duo millia numûm, ſiue ſeptuaginta duo ſeſtertia, mille,octingenti aurei coronati. Daleri bis mille,ducenti,quinquaginta. Tanti traditum eſt Ariſtotelem pau cos emiſſe libros Speuſippi Philoſophi poſt mortem eius. Idem tria talenta Attica. Talentum enim Atticum ſexcentis æſtimatur aureis coronatis,de quo poſtea. Gellius libro iij,cap.xvij. Ariſtoteles Speuſippi libros mercatus eſt.

Centum millia ſeſtertia,ſiue centum ſeſtertia, duo millia, quingenti aurei coronati. Aurei Rhenenſes ſeu daleri,ter mille,centum,viginti quinque. Tanti emptus equus Seianus. Gellius libro tertio, cap. ix. Tantum quoque conſtituit Veſpaſianus imperator Rhetoribus ex fiſco. Tranquil, Suetonius,in vita Veſpaſiani. Equi Seiani precium. Veſpaſiani liberalitas.

Ducenta millia numûm, ſiue ducenta ſeſtertia, quinque millia aureorum coronatorum. Dalerorum ſex millia, ducenti quinquaginta.

Quadringenta millia numûm,

ſeu quadringenta ſeſtertia. Decem millia aureorum coronatorum. Dalerorum duodecim millia, quingenti. Cenſus equeſtris ſub Cæſare. Totidem ſeſtertiis in punctum aleam luſit Nero, id eſt, denis aureorum coronatorum millibus in ſingula puncta, non in ſingulos caſus aleæ. Tranquil. Suetonius in vita Neronis.

Cenſus equeſtris ſub Cæſare.

Sexcenta millia numûm, ſiue ſexcenta ſeſtertia, quindecim millia aureorum coronatorum. Octodecim millia dalerorum, ſeptingenti, quinquagûita. Tanti apud Plinium libro decimo, capite II. Aeſopi tragici hiſtrionis patina eſt taxata.

Aeſopi patina.

Octingenta millia numûm, ſeu octingenta ſeſtertia. Viginti millia aureorum coronatorum. Viginti quinque millia dalerorum, ſeu aureorum Rhenenſium. Cenſus ſenatorius Romæ ante Auguſtum, qui auxit.

Cenſus ſenatorius ante Auguſtum.

Mille ſeſtertia, viginti quinque

n ij

millia aureorũ coronatorũ. Vnum & triginta millia dalerorum, ducenti, quinquaginta.

Latini ſcriptores quod ſupra mille ſeſtertia fuit, ferè ſemper per aduerbia dixerunt, quod infra, nunquam, vt decies ſeſtertiûm dixerunt, pro decies centena millia ſeſtertiûm, quæ ſumma, centies maior eſt decem ſeſtertijs. Decem enim ſeſtertia, ſunt decem millia nummûm. Decies verò ſeſtertiûm, decies centena millia numûm, id eſt, mille ſeſtertia. Cùm enim primùm dicerent decies aut centies centena millia ſeſtertiûm numorum, poſtea vſus obtinuit, vt compendioſe decies aut centies ſeſtertium dicerent. Poetæ autem alijq; ſcriptores compendiũ illud cõtrahentes, pro centies ſeſtertiûm, centies tantùm dicunt, ſubintelligi volentes, centena ſeſtertiûm.

Mos loquendi veteru.

Decies ſeſtertiûm, mille ſeſtertia. Viginti quinque millia aureorum coronatorũ. Vnum & triginta

millia dalerorum, ſeu aureorum Rhenenſium, ducenti, quinquaginta. Tantum M. Antonius triumuir dedit Popilio Lenæ pro capite Ciceronis, hoc eſt, ducenta, quinquaginta millia denariorũ, ſeu drachmarum. Appianus libro quarto ciuilium bellorum.

Caput Ciceronis quanti æſtimatum.

Duodecies ſeſtertium, mille & ducenta ſeſtertia, triginta millia aureorum coronatorum. Triginta ſeptem millia dalerorum, quingenti. Cenſus ſenatorius ſub Auguſto. Iulius Cæſar tanti ſe redemit à Piratis apud Pharmaeuſam inſulá, hoc eſt, quinquaginta talentis. Tranquil. Suetonius in vita Iulij Cæſaris.

Cenſus ſenatorius ſub Auguſto.

Quindecies ſeſtertium, triginta ſeptem millia, & quingenti aurei coronati. Quadraginta ſex millia dalerorum, octingenti, ſeptuaginta quinque.

Vicies ſeſtertium, quinquaginta millia aureorũ coronatorum. Sexaginta duo millia dalerorũ quingẽti.

Tri-

Digitized by

Tricies ſeſtertium ſeptuaginta quinque millia aureorum coronatorum. Nonaginta tria millia dalerorum, ſeptingenti, quinquaginta.

Quadragies ſeſtertium, centum millia aureorū coronatorum. Centum & viginti quinque millia dalerorum. Tantum Nero imperator poſt cladem Lugdunenſibus dedit. Tacitus libro Annalium xvi. Neronis liberalitas in Lugdunenſes.

Quinquagies ſeſtertium, centum, viginti quinque millia aureorum coronatorū. Centum, quinquaginta ſex millia dalerorum, ducenti, quinquaginta.

Sexagies ſeſtertium, centū quinquaginta millia aureorum coronatorum. Centum octoginta ſeptem millia dalerorum, quingenti. Tanti Iulius Cæſar, primo ſuo conſulatu, Seruiliæ matri Bruti, qui Cæſarem poſtea occidit, quam antè alias dilexit, vnionē ſeu margaritam mercatus eſt. Sueton. Tranquil. in vita Iulij Cæſaris. Vnio Seruiliæ datus.

Centies ſeſtertiū, ducenta, quin-

quaginta millia aureorum corona-
torum. Trecenta, duodecim millia
dalerorũ, & quingenti. Tanti æſti-
matus eſt vnio Cleopatræ. Plinius
libro nono, cap. xxxv. Tantum quo-
que poſſedit Vergilius ex liberali-
tatibus amicorum. Seruius, aut qui-
cunque fuit, qui eius vitam ſcri-
pſit.

Margarita Cleopatræ.

Cenſus Vergilij.

Ducenties ſeſtertiûm, quingen-
ta millia aureorum coronatorum.
Sexcenta, viginti quinque millia
dalerorum. Tantum Aeſopus hi-
ſtrio filio reliquit. Macrobius libro
iij. Saturn. cap. xiij.

Aeſopi hiſtrionis opes.

Quadringenties ſeſtertiûm. De-
cies centena millia aureorum coro-
natorum. Duodecies centena, &
quinquaginta millia dalerorũ. Tan-
ti æſtimatus eſt ornatus Lolliæ Pau-
linæ Caij Caligulæ principis ma-
tronæ. Plinius libro nono, capite
xxxv.

Lolliæ ornatus.

Sexcenties ſeſtertiûm. Quinde-
cies centena millia aureorum co-
ronatorum, Octodecies centena,
ſe-

ſeptuaginta quinque millia dalerorum. Tantum Apicius, ad omne luxus ingenium mirus, inexplebibili ingluuie abſumpſit. Martialis libro quinto: Apicij luxus.

Dederas Apici bis trecenties uentri,
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.

Millies ſeſtertium. Vicies quinquies centena millia aureorũ coronatorum. Semel & tricies centena, et viginti quinq; millia dalerorum.

Bis millies ſeſtertium. Quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Bis & ſexagies centena, & quinquaginta millia dalerorum. Quiritium poſt Syllam Craſſus ditiſsimus, in agris ſeſtertium bis millies poſſedit. Plinius libro xxxiij.cap.x.Budæus enim libro ſecundo de Aſſe,bis millies legit, nõ xx millia, vt vulgata exemplaria habent. Craſsi diuitiæ in agris.

Ter millies ſeſtertium. Septuagies quinquies centena millia aureorum coronatorum.Ter & nonagies centena, & ſeptuaginta quinq; mil-

millia dalerorum. Tantum ſibi parauiſſe intra quadriennium exprobrauit Suillius Senecæ, Neronis principatu. Tacitus libro annalium decimotertio.

ecæ di-
æ.

Quater millies ſeſtertium. Centies centena millia aureorum coronatorū. Centies, vicies quinquies centena millia dalerorum. Lentulus augur, antequam illum Libertini pauperem redderent, quater millies ſeſtertium ſuum vidit. Seneca libro ſecundo de benef. cap. xxvij.

entuli au-
uris opes.

Sexies millies ſeſtertium. Centies quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Centies, octuagies ſepties centena, & quinquaginta millia dalerorum.

Decies millies ſeſtertium. Ducenties, quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Trecenties, duodecies centena, & quinquaginta millia dalerorum.

Bis & vicies millies ſeſtertium. Quingenties quinquagies centena millia aureorū coronatorum. Tan-

tum

tum prodiga Neronis donatione effuſum. Tacitus libro annalium decimoſeptimo.

Neronis prodiga liberalitas

Vicies ſepties millies ſeſtertium. Sexcenties, ſeptuagies quinquies centena millia aureorum coronatorum. Tantam pecuniam Tiberius imperator coëgiſſe dicitur, quam non toto vertente anno Caligula abſumpſit. Tranquil. Sueton. in vita Caligulæ.

Tiberius coegit, Caligula absumpſit.

Quadragies millies ſeſtertium, millies centena millia aureorum coronatorum. Totidem initio ſtatim principatus ſui Veſpaſianus imperator opus eſſe teſtificatus eſt, vt Reſpub. ſtare poſsit. Sueton. in vita Veſpaſiani.

Veſpaſianus.

De talento.

τάλαντον talentum Græcorum fuit. Obſeruandum eſt autem Romanos non antè talenti vocabulo vſos, quàm imperij fines ad eas vſque gentes prorogauerunt, quæ hoc vocabulo ſignati argenti vtebantur.

Va-

Varium fuit talentum apud antiquos. Cæterum talentũ Atticum, quod plurimum ab hiſtoricis celebratur, ſexaginta minas valuit argenti, hoc eſt ſex millia drachmarum, quæ ſexagies denos coronatos valent, hoc eſt, ſexcentos. Sed notandum, duplex Atticis fuiſſe talentum, paruum, & magnum. Talentum paruum minarum fuit ſexaginta, vt dictum eſt. Magnum, octoginta, valuitq́ aureos coronatos octingentos.

Talentum Atticum ſexcenti aurei coronati. Septingenti quinquaginta daleri ſeu aurei Rhenenſes.

Tria talenta, mille octingenti aurei coronati. Bis mille, ducenti, quinquaginta daleri. Tanti Ariſtoteles, vt diximus, emit paucos Speuſippi philoſophi libros. Gellius lib. iij. cap. xvij.

Decem talenta, ſex millia aureorum coronatorum. Septem millia dalerorum & quingenti.

Tre-

Tredecim talenta, ſeptem millia, octingenti aurei coronati. Nouem millia dalerorum, ſeptingenti, quinquaginta. Bucephalus equus Alexandri Magni tanti emptus dicitur. Gellius lib. v. cap. ij. Bucephali equi pretiũ.

Quindecim talenta, nouem millia aureorum coronatorum. Vndecim millia dalerorũ, ducenti quinquaginta. & ſunt Demoſthenis facultates. Demoſthenes in prima cõtra Aphobum oratione. Demoſthenis facultates.

Viginti talenta, duodecim millia aureorum coronatorum. Quindecim millia dalerorum. Tanti Iſocrates vnam vendidit orationem. Plinius libro vij. cap. xxx. Iſocrates orationem vendidit.

Quinquaginta talenta, triginta millia aureorum coronatorum. Triginta ſeptem millia dalerorum, & quingenti. Totidem Cæſar Iulius, vt dictum eſt, ſe redemit, à Piratis apud Pharmacuſam inſulam. Tranquil. Suetonius in vita Cæſaris. Cæſar à Piratis ſe redemit.

Octoginta talenta, quadraginta

octo

octo millia aureorũ coronatorum. Sexaginta millia dalerorum. Tanti Cæſar duas emit tabulas, Medeam & Aiacem Timomachi, in templo Veneris genitricis dicaturus. Plinius lib. vij. cap. xxxviij.

Cæſar duas emit tabulas.

Centum talenta. Sexaginta millia aureorum coronatorũ. Septuaginta quinque millia dalerorum. Tantum Cleombrotus medicus à Ptolomæo accepit pro ſeruato Antiocho rege. Plinius lib. vij. capite xxxvij. Tanti quoque licitatus eſt Attalus rex vnam Ariſtidis Thebani pictoris tabulam. Plinius libr. vij. cap. xxxviij.

Ariſtidis tabula.

Trecenta talenta. Centena & octoginta millia aureorum coronatorum. Ducenta & viginti quinque millia dalerorũ. Tantum Craſſus ex paterna hæreditate accepit, Plutarchus in vita Craſsi.

Craſsi diuitiæ.

Octingenta, triginta talenta, quingenta & quatuor millia aureorum coronatorũ. Sexcenta, viginti duo millia daleri, & quingenti. Pro toti-

totidem fideiuſsit Craſſus pro Cæſare in prouinciam abituro, Plutarchus in vita Cæſaris. Aes alienũ Cæſaris.

Mille talenta. Sexcenta millia aureorum coronatorum. Septingenta, quinquaginta millia dalerorum.

Tria millia talentũ. Decies, octies centena millia aureorum coronatorũ. Bis & vicies centena, & quinquaginta millia dalerorum. Tam immenſam ſummam reliquit Demetrius Pompeij libertus, Plutarchus. Demetrij liberti opes.

Septem millia, & centum talenta. Bis & quadragies centena millia aureorum coronatorum, & ſexaginta aurei. Ter & quinquagies centena, & viginti quinque millia dalerorũ. Tantam ſummam Craſſus, priuſquàm aduerſus Parthos exercitum duceret, coëgiſſe traditur, cùm etiam decimam facultatũ ſuarum partem Herculi conſecraſſet, & publicum epulum dediſſet populo, Plutarchus in vita Craſsi. Craſsi diuitiæ.

Decem millia talentûm. Sexagies centena millia aureorum coronatorum. Septuagies quinquies centena millia dalerorum. Tanti funerauit Epheſtionem Alexander Magnus. Plutarchus in vita Alexandri.

Epheſtionis funus.

Quadraginta millia talentûm. Ducenties quadragies centena millia aureorum coronatorum. Tantum Alexander, captis Suſis, præter aliam precioſam ſupellectilem, ex ærario Darij ſuſcepit. Plutarchus, & alij qui geſta Alexandri deſcripſere.

Darij theſaurus.

Sexaginta quinque millia talentûm. Trecenties nonagies centena millia aureorum coronatorũ. Tantum Cæſar poſt omnia bella confecta in ærarium intulit. Appianus.

Cæſar quãtum in ærarium intulit.

Centum millia talentûm. Sexies centies centena millia aureorũ coronatorũ. Tantum Alexandro mortuo in ipſius theſauris repertum. Iuſtinus libro xiii.

Alexandri mortui pecuniæ.

Ducenta millia talentũ. Duodecies centies centena millia aureorũ co-

coronatorum. Tantam ſummam pependit M Antonio triumuiro Aſia. Sed cùm Antonius hanc pecuniam apud Epheſum, vt autor eſt Plutarchus in vita Antonij, per luxum profudiſſet, altera vectigalia Aſiaticis populis imperare inſtituit. Cui Hybreas orator, qui cauſam gentiũ Aſiaticarum agendam receperat, Si potes, ô Antoni, alterum vectigal eodem anno exigere, illud etiam præſtare te æquum eſt, binas vt eodem Anno Aeſtates, binosq́ etiam Autumnos habeamus. Ducenta tibi talentûm millia Aſiam pependit. Hæc tanta pecunia ſi ad te omnis peruenit, & conſumpta eſt, corrodenda nobis nimirum & altera, quando ſpes omnis alia præciſa eſt. Sin autem omnis ad te nõ peruenit, quin eam ab ijs repetis, quià nobis exigendam cogendamq́ curarunt?

Antonij luxus.

Hybreas orator.

Trecenta millia talentûm, millies, octingenties centena millia aureorũ coronatorum. Tantũ Alexan-

Alexandri reditus. der habuit in annuo vectigali tributo, Iuſtinus libro xiij.

Myrias. Græci myriadem vocant decem millia, decies ergo centena millia, centum myriadas dicunt, & mille myriadas, centies centena millia. Lais illa Corinthia à Demoſthene, pro concubitu, popoſcit μυριὰς δραχμάς, id eſt, decem drachmarum millia, hoc eſt mille aureos coronatos, vt ſupra dictum eſt. Gellius libro primo, cap. viij.

De auro.

Auri rara mentio apud antiquos, argentum hominum ſermone celebratius fuit. Hinc populus Romanus victis gentibus in tributo ſemper argentum imperauit, non aurum. Plinius libro xxxiij. cap. iij.

Aurei Romani. Aurei Romani didrachmi fuerunt, id eſt, duas drachmas, hoc eſt, dimidium lotę, vt vocant, auri pendebant, centũ nummis, ſeu xxv denarijs æſtimati, hoc eſt, duobus coronatis & ſemiſſe. Horum quatuor cōplebant vnciam, quæ octo drachmas

mas continet, id eſt, duas lotas. Verùm malignitate temporũ imminuta moneta, factũ eſt, vt aurei excuderentur & leuiores & viliores, ex quatuor drachmis, id eſt, lota, terni, quorum ſex vnciam implerent vocatiq; ſunt ſolidi, hoc eſt integri aurei, nam eo ſeculo etiam minores feriebantur.

Solidi.

Aureus Hungaricus.

Aureus Hungaricus ſimplex, qui admodum cum veteri auro conuenit, quantum ad puritatem attinet, pondus habet drachmæ vnius. Didrachmalis ergo Romanus aureus binis valebat ducatis Hungaricis ſimplicibus, aut vno duplici.

Stateres aurei.

Erant & aurei, qui ſtateres appellabantur, quidam Darici, quidam Philippei, quidam Alexandrei, qui mina argẽti valebant, hoc eſt, decem aureis coronatis. Stater igitur vnus aureus, quaternos aureos Romanos didrachmales valebat. Fueruntq; hi ſtateres vnciales, cuiuſmodi ferè Luſitanici, id eſt, Portugalenſes hodie aurei viſuntur

tur denis coronatis æſtimabiles.

Auri ad argentū proportio.

Auri ducatorum, nobilium Angliæ, Luſitaniæ, & Hungariæ regum, ad argentum ea eſt ferè proportio, quæ eſt, duodecim ad vnum, ideo huius auri vncia, duodecim ferè valet vncias argenti.

Auri Gallici, hoc eſt, coronatorum, ea eſt ad argentum proportio, quæ eſt, vndecim ad vnum. Huius ergo auri vncia, vndecim valet vncias argenti.

Auri Rhenenſis ad argentum ea eſt proportio, quæ eſt, nouem ad vnum. Proptcrea huius auri vncia, nouem argenti vncijs æſtimatur.

Vndecim talenta argenti, vnum talentum auri coronarum conficiunt, hoc eſt, ſex millia, ſexcentos aureos coronatos. Nam talentum argenti ſexcentis aureis coronatis æſtimatum eſt; quod vndecies multiplicatum, iam dictam facit ſummam.

Apelles Alexandrum pinxit.

Viginti talentis auri Apelles pinxit Alexandrum fulmen tenentem, digi-

digiti videbantur eminere, & fulmen extra tabulam eſſe, in templo Epheſiæ Dianæ. Plinius libro xxxv. capite decimo. Sunt autem dicta viginti talenta auri, centum, triginta duo millia aureorum coronatorum.

Annulus aureus.

Annulus apud Romanos primò ferreus, poſtea aureus, inſigne erat ordinis equeſtris, vt diſtingueretur à plebe. Plinius libro xxxiij. capite primo.

Ius autem annulorũ donare apud antiquos erat id fermè, quod equitem facere dicimus. Tranquil. Suetonius in Cæſare. Promiſſumq; ius annulorum cum millibus quadringentis fama diſtulit, id eſt, diuulgauit. Cenſus autẽ equeſtris, quadringenta millia numûm, vt dictum eſt, ſeu quadringenta ſeſtertia. Idem Sueton. in Vitellio. Prouincia deinde accepta, Aſiaticũ manumiſit, ac primo imperij die aureis donauit annulis ſuper cœnam, cũ mane, rogantibus pro eo cunctis, deteſtatus

eſſet ſeuerißimè talem equeſtris ordinis maculam.

Equites aurati, quos vulgo Ritter appellamus, in equitum Romanorum ſucceſſere locum. Nam vt olim Romani equites aureis annulis, à plebe, ſic noſtri iam aureis à reliqua nobilitate calcaribus diſtinguuntur. Lege quæ de his pulchrè ſcripſit Viglius in rubricam de teſtamento militari, libro inſtitutionum ſecundo.

Argentei quibus Chriſtus diuenditus eſt. Triginta argentei, quibus Chriſtus à Iuda proditore diuenditus eſt, cuius fuerint valoris diuinare licebit ex ſecundo paralipom. cap. 1. ibi enim dicitur, quòd negociatores regis Solomonis ex Aegypto ad regem equos adducebant, ſingulos centum & quinquaginta argenteis emptos. Si ergo æſtimetur argenteus pro tertia parte coronati aurei, proditus fuit Ieſus pro decem coronatis. Atq; ita precium vnius equi, quinquaginta aurei coronati. Quod autem Liuius libro primo ab

vr-

vrbe condita ait, ad equos emendos dena millia æris ex publico data, quæ centum faciunt coronatos, ſi de precio duorum equorum intelligatur, planè omninò conuenit cum precio ſingulorũ equorum iam dicto.

De menſuris Romanis

Menſuræ appellantur, quibus metimur, tum liquores, quod genus ſunt, oleum, vinum, acetum, aqua, mel: tum arida, cuiuſmodi omnia frumenta legumina, fructus, & plæraque alia.

Liquidorum menſuræ apud Romanos.

Culeus		*amphoras uiginti*		*quartas cccclxx.*
Amphora		*urnas duas*		*quartas xxiiij.*
Vrna		*congios iiij*		*quartas xij.*
Congius		*Sextarios ſex*		*quartas iij.*
Sextarius	*capit*	*Heminas duas*	*id eſt*	*quartæ dimidium.*
Hemina		*Quartarios duos*		*quartæ quadrãtẽ.*
Quartarius		*Acetabula duo*		*quartæ 8. partem.*
Acetabulũ		*ſeſquicyathum*		*quartæ 16. partẽ.*

Cyathus	*Ligulas,ſiue co-clearia quatuor*	*quartæ xxiiij partem.*

In Sextario duodecim ſunt cyathi.

Sextarius inde dictus eſt, quod ſexta pars congij ſit, in menſuris quaſi initium quoddam eſt & fundamentum, cùm enim conſtituerimus quantum capiat Sextarius, cætera nullius difficultatis erunt.

Sextarius		*uncias menſurales xx. id eſt, libram Romanam, & beſſem.*	
Congius		*libras menſurales*	*Decem.*
Vrna			*Quadraginta.*
Amphora			*Lxxx.*
Culeus	*capit*		*M.D.C.*
Hemina		*uncias menſurales*	*Decem.*
Quartarius			*Quinque.*
Acetabulum			*ij cum dimid.*
Cyathus		*ſeſcunciam, drachmam, & ſcriptulum.*	
Ligula		*drachmas iij, ſcriptulum I. Drachma autem iij continet ſcriptula.*	

Vnciæ menſurales.

Libræ & vnciç menſurales, cuiq; men-

menſuræ fixæ ſemper & immobiles manent. Ponderales verò pro rerum, quas metimur, diuerſitate ſubinde mutantur. Sextarius ergo Romanus xx. capit vncias menſurales, nam quot ponderales, niſi humorem, quem metiris, expreſſeris, minimè dicere potes, alius enim alio grauior eſt.

Ponderales.

Vini & aquæ pluuiæ, vel alioqui puræ ſextarius, vt Rhemnius Fannius ſcribit, pendet vncias xx. Vini, olei, vncias xviij. mellis xxx. Mel ergo tertia parte vino eſt grauius. Vinum nona parte grauius eſt oleo. Tantundē enim pendet, & nonam præterea eius partem.

Liquorum pondera.

Sextarius igitur Romanus vini, aut aquæ puræ aliquanto minus eſt, quàm dimidiū quartæ Colonienſis, *ein Mengehln.* Quòd ſi Sextarius, vt Budæus lib. v. de Aſſe putat, dipondius, ſeu bilibris eſſet, illius menſura, cum dimidia quarta Colonienſi planè cōueniret. Quarta enim Colonienſis vini, aut aquæ puræ, quatuor

Sextarij capacitas.

tuor pendet libras Romanas. Germanicas verò tres.

Sextarius xij. cyathos continet.

Sextarius quia duodecim cyathos in ſe cõtinet, quemadmodum As & Libra duodecim vncias, fit vt perinde ac in re numaria, vel pondere, Sextantem duas vncias dicimus, ita in poculis Sextantem duos cyathos dicamus. Suetonius in Auguſto. Poſtea quoties largiſsimè ſe inuitaret, id eſt, plurimum biberet, ſenos ſextantes non exceſsit, id eſt, duodecim cyathos; qui efficiunt ſextarium.

Quadrans, quarta ſextarij pars, tres cyathi.

Triens, tertia ſextarij pars, quatuor cyathi. Perſius ſatyra tertia:
Sed tremor inter uina ſubit, gelidumq; trientem
Excutit è manibus.

Quincunx, quinque cyathi.

Semiſsis, ſic in vſu non eſt, ſed loco eius Hemina, vel ſex cyathi.

Septunx, ſeptem cyathi. Martialis libro iij. in Zoilum:
Septunce multo deinde perditus ſtertit.

Bes,

Bes, octo cyathi. Martialis libro vndecimo de Caio Proculo.

Quincunces, & ſex cyathos, beſſemq́; bibamus,
Caius ut fiat, Iulius, & Proculus.

Dodrans, nouem cyathi.

Dextans, decem cyathi.

Deunx, vndecim cyathi. Martialis libro xij. in Cinnam:

Poto ego ſextantes, tu potas Cinna deunces,
Et quereris quod nō Cinna bibamus idem.

Mos ſympoſiacus. Veteres Romani cum hilariori conuiuio ſeſe ad potus ſolutiores inuitarent, tot cyathos bibebant, quot literæ erant in amaſiæ nomine. Hinc Martialis libro primo ad ſomnum:

Næuia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinq; Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno,
Et quia nulla uenit, tu mihi ſomne ueni.

Menſurarum nominibus ſæpè vel vas indicatur, quod in maioribus omnibus ferè fit, vel poculum, quod in minorbus.

Culeus Romanorum maxima eſt menſura, continens amphoras xx. C

Google

vrnas xl. Magnum autem vas fuiſſe ex eo apparet, quòd culeis è corio inſuti parricidæ cum cane, gallo, & vipera in proximum mare vel amnem proijciebantur. Tranquil. Suetonius in Auguſto, Modeſtinus Iureconſultus. Aymarus Riuallius lib. ij. ciuilis hiſtoriæ iuris.

Amphora quadrantal. Amphora, quæ & quadrantal dicitur, capit vrnas duas, cógios octo, ſextarios xlviij. viginti quatuor ferè quartas Colonienſes, ſi ſextarium bilibrem ſeu dipondium cum Budæo dixeris, aliàs tantùm viginti quartas. Maximinus imperator amphoram vini die exhauſit, atque comedit xl libras carnis Romanas, id eſt, xxx. Germanicas. Vt autem Cordus dicit, etiam lx libras carnis Romanas comedit, id eſt xlv Germanicas. Iulius Capitolinus.

Maximini bibacitas.

Vrna. Vrna capit congios quatuor, Sextarios xxiiij.

Congius. Congius continet ſextarios ſex, heminas duodecim. Ciceronis filius binos congios ſimul haurire ſolitus

litus fuit. Nouellius Torquatus Mediolanenſis. Tricongius dictus eſt, à tribus congijs vno impetu epotis. Plinius libro xiiij. cap. xxij. Tricongius.

Duplex fuit Romanus Sextarius, Vrbicus & Caſtrenſis. Vrbicus ſexta erat pars congij, de cuius capacitate iam dictum eſt. Caſtrenſis, duos vrbicos capiebat. Romanus autem ſextarius, Italicus, reſpectu Græci dicitur. Vrbicus, reſpectu Caſtrenſis, quod ab vtroque differat. Sextarius vrbicus. Caſtrenſis.

Aridorum menſuræ apud Romanos.

Modius		*duos ſemodios.*
Semodius		*Sextarios octo.*
Sextarius	*capit*	*Heminas duas.*
Hemina		*Acetabula quatuor.*
Acetabulum		*Seſquicyathum.*
Cyathus		*Ligulas quatuor.*

Sed quia Sextarius capit vncias menſurales viginti, ſequuntur hæc ordine quodam.

Modius

Modius		*libras menſurales 26. uncias viij.*
Semodius		*libras xiij. uncias iiij.*
Sextarius		*uncias menſurales xx.*
Hemina	*continet*	*uncias x.*
Acetabulum		*duas cum dimidia.*
Cyathus		*ſeſcunciam, drachmam, & ſcriptulum.*
Ligula		*drachmas iij. et ſcriptulũ.*

Modij capacitas.

Modius aliquanto maior eſt quàm noſtra menſura, quam Spintham vulgo appellamus, *ein ſpindt*. Sex enim quartas Colonienſes, & ſemiſſem Spintha noſtra continet, id eſt, xxvi libras Romanas. Quarta autem Colonien. circiter iiij. capit libras Romanas, quas ſi multiplicaueris per ſex, & ſemiſſem addideris, prodibunt xxvi. Spintha ergo noſtra, modio eſt octo vncijs minor. Ex hoc æſtimare licet, tres modios annulorum Carthaginem miſſorum ab Annibale poſt Cannenſem cladem, vel vnum modium, ſecundum alios annales, vel duos modios, ſecundum L. Florum lib. ij. cap. vi.

Qua-

Quaternos frumenti modios, quolibet menſe ſingulis ſeruis admetiebãtur Romani, quod demenſum vocabant. Donatus in Phorm. Teren. Quaterni autem modij paulò plus quàm Schepellum, vt vulgo vocant, noſtrum faciunt *ein Schepel.* Demenſum.

Liquorum ergo tantùm menſuræ apud Romanos fuerũt, Culeus, Amphora, Vrna, Congius, Quartarius.

Aridorum ſolùm Modius & Semodius.

Humidorum & ſiccorum ſimul: Sextarius, Hemina, Acetabulum, Cyathus, Ligula vel cochlearium.

De menſuris Græcis.

Liquorum menſuræ apud Atticos.

Metretes		*Choas x*		*Quartas xxx*
Chous		*Sextarios vi*		*quartas iij*
Sextarius	*capit*	*Cotylas ij*	*ideſt,*	*quartæ dimidium*
Cotyle		*Quartarios ij*		*quartæ quadrãtem*
Quartarius		*Oxybapha ij*		*quartæ viij partẽ*
Oxybaphum		*Seſquicyathum*		*quartæ xvi partẽ*

 Cya-

Cyathus	*Conchas ij. uel myſtra iiij. ſeu Chemas V. id eſt, quartæ xxiiij partem.*
Cheme	*Cochlearia duo.*

μετρητὴς, Metreta decem capit choas, id eſt, congios. χοῦς Chous, idem quod congius. Sunt autē idem Metreta, & Cadus, quod & ipſum Græcum eſt.

ξέστης, Sextarius, vocabulum è Romana dictione, quæ ſextarius dicitur, corrupta formatum. Nam neq; nomen, neque menſura hæc apud vetuſtiores Atticos ſcriptores inuenitur, ſed vnà cum imperio Romano & vox & menſura in Græciam venit.

κοτύλη, Cotyla, Hemina. Dicitur quoque eadem menſura τρύβλιον, & ἡμίξεστον, id eſt, dimidius ſextarius.

τέταρτον, Quartarius, quarta pars ſextarij. Eadem menſura ἡμικοτύλιον, id eſt, dimidia Cotyle nuncupatur..

ὀξύβαφον, primò dictum vaſculum ad infuſionem aceti, vt in id intin-

intingerent, cibum ſumentes, paratum. Deinde menſura hoc nomine dicta, quarta pars Cotyles, ſicut Acetabulum quarta pars Heminæ. Acetabuli autem denomiatio facta eſt ab aceto, nonnihil ad imitationem Græcorum.

κύαθος Cyathus, ἀπὸ τοῦ χύειν, id eſt à ſundendo Græcis dictus, literæ aſpiratæ in tenuem mutatione.

κόγχη, Concha, dimidium cyathum capit. Vſi ſunt & Latini concha pro menſura & vaſis genere.

μύστρον, Myſtrum, cyathi quarta pars.

χήμη, Cheme, quinta pars cyathi.

Quia Cotyle nouem continet vncias menſurales, facile hinc, calculis ſubductis, colligi poteſt, quot librarum vel vnciarum menſuralium quæque menſura fuerit. Eſt autem Cotyle vna vncia minor, quàm Hemina Romana, quæ, vt dictum eſt, decem vncias capit menſurales.

EPITOME

Aridorum menſuræ apud Atticos.

Medimnus, Chœnix, Sextarius, Cotyle, Oxybaphon, Cyathus, Cochlearium.

Medimnus. μέδιμνος, medimnus ſex modios continet, id eſt, Chœnicas octo & quadraginta. In modio enim octo ſunt Chœnices, uoſtra menſura ſeſquiſchepellum.

Chœnix. χοῖνιξ Chœnix duos capit ſextarios Romanos vrbicos, eiuſdem capacitatis cum ſextario Caſtrenſi. Eſt autem Chœnix ea frumenti menſura, quam homo vno die abſumere poteſt: fuit enim chœnix diurnus cibus ſeruorum Græcorum, Demēſum. quemadmodum Demenſum Romanorum cibus menſtruus, quod quaternos continuit modios, quos ſi ad Chœnicas comminueris, computatis in ſingulos modios chœnicibus octo, conficientur dies xxxij. hoc eſt, mēſis vnus. Nam quod duo dies abundare videantur, de eo nō eſt quod laboretur. In huiuſmodi

enim

enim ſupputationibus minutię coēquari nō poſſunt. Pythagoræ ſymbolum eſt: χοίνικι μὴ ἐπικάθισαι, id eſt, Chœnici ne inſideas. Quo moueamur, ne victu vnius diei quæſito, nō curemus craſtinum, contrariū doctrinæ Chriſti Matthæi 6. qui nos in craſtinum ſollicitos eſſe vetuit. Eandem menſuram Hebræis Gomer dici Budæus putat libro 5. de Aſſe & partibus eius. Statuta enim à Domino hæc menſura erat colligendæ viritim mannæ in ſingulos dies, Exod. 16. Alij dicunt Gomer duplo maiorem fuiſſe iiij ſextar. Gomer decima pars Ephi, id eſt, trium ſatorum.

ξέστης Sextarius, capit cotylas duas.

κοτύλη Cotyla, capit oxybapha quatuor.

ὀξύβαφον Oxybaphon, capit ſeſquicyathum.

κύαθος Cyathus, capit cochlearia decem.

Batus & Corus Hebraica ſunt vocabula, vt docet Ioſephus lib. viij antiquit, cap, η. Batus menſura li- Batus.

zed by Google

quidorum capit ſextarios, vt Ioſephus eodem ait loco, lxxij. hoc eſt, congios xij. Corus, menſura aridorum capit medimnos Atticos xli. vt idem Ioſephus libro iij antiquit. inquit, circa finem.

Corus.

Satum. Satum, Hebræorum eſt menſura, ſeſquimodium capiens, Eraſmo Roterodamo id ex diuo Hieronymo teſtante, in annotationibus in nouum Teſtamentum, in xiij cap. Matthæi ac Lucæ. Ioſephus etiam libro antiquitatum Iudaicarum nono, capite quarto inquit. Satum continet modium Italicum, & dimidium.

Hin. Hin, Hebræis idem quod ſextarius Caſtrenſis, autore Georgio Agricola. Alij ex Ioſepho afferunt idẽ eſſe, quod ſemodius Romanus. Ioſephus enim lib. iij. antiqui. cap. xij. & xiij. ait Hin capere choas Atticos duos.

De menſuris Geodeticis.

Digitus continet quatuor hordei grana in latum poſita.

Pal-

Palmus digitos habet quatuor, hic Græcis dicitur ἡ παλαιστὴ καὶ ἡ παλαιστὶς, καὶ δῶρον, καὶ δοχμή.

Pes digitos xvi continet, id eſt, quatuor palmos.

Dodrans, tres pedis quadrantes, cui quarta pars deeſt, vt non ſit pes totus, Græcè σπιθαμή, digiti duodecim, pollices nouem, ſeu palmæ tres. Nam & in pollices duodecim, qui ſedecim efficiunt digitos, pes diuiditur, vt As in duodecim vncias. Tres autem pollices, digitos faciunt quatuor, Plinius libro vij.ca.ij. Super hos extrema in parte montiũ Spitamæi Pygmæi narrantur, ternas Spithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non excedẽtes, id eſt, duos pedes & quadrantem. Noſtra lingua Spithamam vocamus. Spithama. Pygmæi.

Cubitus ſiue cubitum, ſeſquipes, palmi vi.

Greſſus, duo pedes & ſemis.

Paſſus, duo greſſus, id eſt, quinque pedes.

Vlna, Græcè ὄργυια, quatuor cubiti, id eſt, ſex pedes, quantum ſpacij eſt inter manus expanſas.

πλέθρον, Plethrum, centũ pedes.

Stadium. Stadium Plinius libr. ij cap. xxiij habere ſcribit paſſus cxxv. hoc eſt, pedes ſexcentos, viginti quinque. Gellius libro primo capite primo Græca ſtadia facit pedum ſexcentenûm.

Diaulos, δίαυλος, duo ſtadia.

Miliarium. Miliarium Italicum, mille paſſus, hoc eſt, octo ſtadia. Miliare Germanicum dicitur continere xl. ſtadia, id eſt, v, vt plurimũ, miliaria Italica.

Dolichos, δόλιχος, duodecim ſtadia, ſeſquimiliarium Italicum.

Paraſanga Perſica menſura, xxx ſtadia. Multis paraſangis præcurrere dicitur, qui longo interuallo præcedit, multiſq; partibus ſuperior eſt, vide Chiliad. Eraſmi.

χοῖνος Schœnus, Aegyptiaca mẽſura, ſexaginta ſtadia, ſeſqui miliare Germanicum.

σαθμὸς ſtathmos, autore Budæo in pandect. xxviij miliaria Italica & ſemis, Veredariorum diuerſorium. Tantum itineris eu im vno curſu c ficiunt.

Actus, latus eſt pedes cxx. & longus m, duplicatusq; in longi- lugerum facit. Eſt ergo idium lugeri. ccxl pedes habet in lon- ,dimidium verò, hoc eſt, cxx. in latitudinem. Vocatumq; lugerum, quod vno iugo boum in die exarari poſsit. Actus verò, quod in eo boues agantur, cùm aratur, vno impetu iuſto, Plinius libro xviij. capite iij. Actus. Iugerum.

De ponderibus Romanis.

Libra Romana, quæ & pondo, in xij diuiditur vncias, id eſt, xxiiij lotas. In quas enim partes As diuiditur, in has diſtribuitur & Libra. Hinc partes eius ſunt:

Vncia, per ſe
Sextans ij vnciæ
Quadrans iij

Triens	iiij
Quincunx	v
Semis, vel ſemiſsis vi. quæ etiam ſelibra dicitur.	
Septunx	vij
Bes	viij
Dodrans	ix
Dextans	x
Deunx	xi
Libra	xij.

Seſcuncia autem eſt dimidia, iij lotæ.

Vncia rurſus diuiditur in duas ſemuncias, in quatuor Sicilicos, in vi Sextulas, in vij denarios, in xxiiij ſcriptula ſeu ſcrupula.

Denarius diuiditur in ij Victoriatos, in vi. ſextantes.

A libra fit bilibris, id eſt, duarum librarum, Martialis lib. v. Nolo mihi ponas Rhombum, nullúmue bilibrem. Et trilibris trium librarum. Horatius ij Sermon. Satyra ij. Laudas inſane trilibrem Mulrum.

Et quadrilibris. Plautus in Aulula-

lularia: Quadrilibrem [illegible] onuſtam habeo, quis me e tior?

Sicilicus ſiue Siciliquum, qua ta pars vnciæ, duæ drachmæ, di midium lotæ: vncia enim [illegible] conti net drachmas. Drachma quadrans lotæ.

Sextula, ſexta pars vnciæ, quatuor ſcrupula. Duas ſextulas Duellam vocant.

Victoriato frequentiſsimè pro pondere vtitur Scribonius Largus, & eſt ſemis denarij.

Denarius relatus ad pondera Romana in duodecim partes, vt As in duodecim vncias diuiditur, ex illis duæ partes dicuntur ſextans, perinde vt duæ vnciæ aſsis. Erunt itaque ſex ſextantes in denario.

Nullum eſt ponderis genus tam Græcis, quàm Latinis, quo non & numiſma, vel ſumma quædam rei numariæ ſignificetur.

Noſtrates libram duplicē habent, Zygoſtaticam, quam [illegible] negociato- Libra negociatoria.

unt, quæ triente Roma-
edi qua vtuntur negocia-
s & pigmentarij aromatarijq;,
ueſq; omnino qui appenſas mer-
venditaut, que denum & ſenum
at vnei um. Cuius ſemiſſem mo-
netarij & aurifices, & vaſeularij li-
bram ſibi fecerunt, mareamque eam vo-
cantes, faeit enim ſeſquimarca li-
bram vnam Romanam vnciarū xij.

Porrò libra noſtra Zygoſtatica
binas & triceuas ſemuncias conti-
net, quas noſtrates Germani Lotas
appellitant. Semunciæ verò ſingu-
læ quaternas drachmas, quas ijdem
quintulas dicunt, ita ſit vt in libra
noſtra ccxxviij. ſint drachmæ.

De ponderibus Atticis.

ταλαντον, Talentum Atticum mi-
narum eſt lx. Mina verò duas qui-
dem habet ſemiminas, centum au-
tem drachmas, id eſt, xxv lotas.
Drachma obolos vi.

Obolus, duos dimidios obolos,
æreola. Græci χαλκοῦς nominant.
Aereo-

Aereolum vij minu[illegible]ti-
cant Græci.

Minutia indiuiſa manet.

Duplex fuit Atticis tale[illegible] antè diximus, Paruum lx m Magnum lxxx. Talentu[illegible] ita Atticum ponderale tot fuit minarum, quot numarium.

Μνᾶ, quam nos minam diximus, centum pendet drachmas, id eſt, xxv lotas, eademq́ quoque eſt ponderalis, & numaria.

Δραχμὴ drachma diuiditur in terna ſcriptula, ſeu ſcrupula. Scrupulum in binos obulos. Obulus in tres ſiliquas. Sunt igitur in drachma oboli vi. Siliquæ xviij.

AD PVERVM BO-*NARVM LITERA*-RVM STVDIOSVM.

EN iterum ſtudioſe puer, breuis iſte libellus
Ante oculos ſtatuit, non ſine luce, tibi,
Quid ueteres numi, menſuræ, pondera, nobis
Efficiant iſto tempore, quid[illegible]nt.

Ne

[illegible] ſemel hunc euoluere mente,
[illegible] plurima digna ſtatim.
[illegible]fficiles reſecabunt ordine nodos,
[illegible]ſſum poterant qui retinere tuum.
[illegible]os eſſe uides, nulliq; labori
[illegible] quo ſtudijs ſint benè cuncta tuis.
N[illegible] deamur cum fruſtrà ſumpſiſſe laborem,
Si ſapis, aduigila ſedulus, atque caue.
Gratius eſſe nihil poterit, iucundius atque
Pectoribus noſtris, utiliusq; tibi.
Crede mihi, nam uera loquor, mendacia nulla
Profero, quod res eſt dico, aliudq; nihil.
Querimus hoc unum, fias doctusq; probusq;.
Et ne ſegnicies te modò perdat iners.
Viue, ualeq; diu, propriæ memor eſſe ſalutis
Ipſe uelis ſemper, uiue, ualeq; diu.

FINIS.

Z
737.1-4
99 354602